

TRACTATUS IX.

DE VOLUNTARIO, ET INVOLUNTARIO.

POSTQUAM egimus cum D. Thoma de ultimo fine, & de beatitudine, oportet pertractare de actibus humanis, qui sunt potissima media, quibus beatitudo comparatur. Et quia in actibus humanis seu moralibus duo sunt attendenda, videlicet, regulatio illorum per rationem, seu legem, quæ est sicut formale; & res ipsa, quæ regulatur, quæque est materiale, & sunt actus voluntarij & liberi; prius agendum est de illis, prout voluntarij, & de illis, prout involuntarij, de quibus D. Thomas sermonem instituit à q. 6. vsque ad 18. exclusivè, & cum eo communiter Theologi. *Voluntarium* tamen potest dici tripliciter: primò obiectivè, quo pacto quidquid est volitionis obiectum, dicitur hoc modo *voluntarium*. Secundò effectivè, seu terminativè, & ad hunc sensum omnes effectus terminantes influxum voluntatis dicuntur *voluntarij*. Tertio formaliter, quomodo dicitur processum immediatum à voluntate sive per modum actus, sive per modum omissionis; & propriissimè convenit actibus, quia important essentialem originem ab ea. Et de voluntario in hac posteriori acceptione est sermo præcipuus in hoc tractatu, quamvis nonnulla dicemus de voluntario tam obiectivè, quam terminativè sumpto.

DISPUTATIO I.

De Voluntario incommuni.

UT methodum compositionis, iuxta quam ab universalibus ad particularia proceditur, observemus, operæ pretium duximus in hac prima disputatione de voluntario in communi differere.

DUBIUM I.

Quid sit voluntarium: Et quot modis dicatur.

Merito ab hoc dubio hanc disputationem ordimur: Tum, quia existentia voluntarij est per se nota: tum, quia post questionem an esset, quæ conducit ad declarandam existentiam, immediate succedit questio quid esset.



s. II.

Diffinitio voluntarij.

Dicendum est primò, voluntarium esse id, quod procedit à principio intrinseco cum cognitione finis. Ita communiter Theologi cum D. Thoma in præf. art. 1. post Arist. Gregorium Nisenum, & Damasc. quos S. Doctor ibidem refert.

Et breviter probatur: Nam id est voluntarium, quod significat eius adequata diffinitio essentialis; sed diffinitio essentialis voluntarij est, quam tradimus in assertionem: ergo voluntarium est id, quod procedit à principio intrinseco cum cognitione finis. Minor probatur: nam diffinitio essentialis cuiuslibet rei est illa, quæ constat genere, & differentia adequata, & aliunde nihil est in ea superfluum, si enim assignatur differentia adæquata aperte constat non esse diminutam; sed diffinitio voluntarij supra relata est huiusmodi: ergo ea esse debet diffinitio voluntarij. Minor probatur: nam imprimis actio voluntaria procedit à principio intrinseco. Quæ verba ponuntur loco generis: quia per illa, licet distinguatur à motu violento, quia procedit

dic

dit à principio extrinseco, convenit tamen cum pluribus actibus naturalibus, qui procedunt à principio intrinseco, & voluntarij non sunt, ut operationes partis vegetativæ. Additur deinde cum cognitione finis: Quibus verbis distinguitur ab omnibus actionibus, quæ voluntariæ non sunt, ut est nutritio plantarum, & ipsa cognitio considerata secundum se, quæ non supponit cognitionem, ut sui causam, sed est ipsa cognitio. A motibus gravium, & levium vel distinguitur per priores particulas, si ly à principio intrinseco denotet principium activum; vel per subsequentes, scilicet, cum cognitione finis; si ly principium significat tam activum, quam passivum: ergo traditur hæc diffinitio per proprium genus, & adequatam differentiam, quin in ea inveniantur aliquid superfluum.

Et constat: Nam cum voluntarium opponatur involuntario, recte diffinitur, si in eius diffinitione excludantur omnes causæ, & conditiones, quæ concurrunt ad involuntarium; sed ad involuntarium duæ præcipue causæ, & conditiones concurrunt, nempe violentia, & ignorantia, & in præfata diffinitione hæc duæ causæ, & conditiones manent exclusæ: si quidem per illa verba, *A principio intrinseco*, excluditur violentia; cum hæc inferatur à principio extrinseco contra inclinationem subiecti: Et per illa, *Cum cognitione finis*, excluditur ignorantia, ut persè patet: ergo rectè diffinitur voluntarium per hoc, quod sit à principio intrinseco cum cognitione finis.

2. Probatur secundo nostra conclusio, explicando aliter præfata diffinitio: Nam motus voluntarius est ille, ad quem agens perfecte se movet, hoc est, sponte propria, ad quod requiritur, quod habeat in se integrum principium intrinsecum sui motus: integrum autem principium motus est efficiens, & finis: unde tunc agens perfecte se movet, quando movetur intrinsecè tam ratione efficientis, quam ratione finis. Iam sic; sed solum ea, quæ apprehendunt, & cognoscunt finem, possunt se movere ab intrinseco ex hoc duplici principio, & hoc principium integrum explicat diffinitio tradita: ergo est legitima. Minor, in qua tantum potest esse difficultas, suadetur nam in his, quæ finem non apprehendunt, ut planta, quamvis motus sit ab intrinseco penes causam efficientem, non autem penes causam finalem, quia diriguntur ad finem ab auctore nature: ergo solum ea, quæ cognoscunt finem, possunt adequate moveri ab intrinseco, tam ex parte causæ efficientis, quam ex parte causæ finalis: ergo rectè diffinitur voluntarium per hoc, quod sit à principio intrinseco cum cognitione finis.

3. Dicendum est secundo, voluntarium dividi in plures modos voluntarij, fundatos vel in diverso modo cognoscendi ex parte intellectus, vel in diverso modo procedendi ex parte

voluntatis. Primò enim ex diverso modo cognoscendi dividitur voluntarium in perfectum, & imperfectum. Perfectum est, quod procedit ex cognitione perfecta finis: Et tunc contingit, quando non solum cognoscitur res, quæ est finis, sed etiam ipsa ratio finis & proportio eius, quod ordinatur ad finem: qui modus cognoscendi tantum competit rationali nature: Imperfectum est, quod procedit ex imperfecta cognitione finis, hoc est, quando solum apprehenditur res, quæ est finis, absque eo, quod cognoscatur ratio finis, & proportio eius, quod est ad finem, & talis modus cognoscendi reperitur in brutis: Quam divisionem desumpsimus ex D. Thoma in præf. art. 2. Secundò dividitur in liberum, & necessarium. Prius est, quod procedit cum indifferentia ad utrumque; & posterius cum determinatione ad unum. Tertio ex eodem capite dividitur in formale, & virtuale. Formale est illud, quod procedit ex cognitione expressa & formali; & virtuale ex cognitione virtuali, & implicita.

4. Quarto ex diverso modo procedendi ex parte voluntatis dividitur in directum, & indirectum. Directum est, quod directè procedit ab ea, per verum & positivum influxum. Indirectum verò, quod non procedit per positivum influxum, sed imputatur ei, quia non impedit, cum possit, & teneatur. Et hoc modo est omisio seu privatio actus debiti, quæ cum sit carentia, & non ens, nequit persè terminare influxum positivum voluntatis, sed quia potest ab ea impediri ponendo actum oppositum, est illi voluntaria. Quintò, misis alijs divisionibus, dividitur in voluntarium physicum, & morale. Primum est, quod procedit à voluntate propria personæ: secundum, quod procedit à voluntate alterius, in quantum reputatur propria: quia unus potest suum consensum in alium transferre.

s. II.

Obiectiones contra primam assertionem.

A Diversas diffinitionem voluntarij ex duplici capite potest argui, & quia est redundans, & quia est diminuta. Ex primo capite arguitur sciam ea diffinitio est redundans, quæ convenit alijs à diffinito; sed prædicta diffinitio est huiusmodi: ergo non est legitima. Minor probatur: nam actui intellectus antecederet ad omnem actum voluntatis convenit tota diffinitio voluntarij: nam procedit à principio intrinseco, & cum cognitione finis: quia si finis proponitur voluntati, utriusque datur cognitio finis. Et hoc maxime relucet in cognitione mediorem præsupponente cognitionem finis. ¶ Secundo: Nam amor, quo Angelus diligit se, & Deum auctorem naturalem,

&

& quo nos diligimus beatitudinem in communi, sunt naturales, ac proinde non voluntarij; & tamen sunt ab intrinseco cum cognitione: ergo.

¶ *Tertio*: Nam actus voluntatis versantis circa malum, vt nolitio, odium, & similia, etiam sunt ab intrinseco cum cognitione; & tamen non sunt voluntarij, quia obiectum non denominatur *volitum*: ergo.

¶ *Quarto*: Nam dolor, & tristitia damnatorum sunt ab intrinseco cum cognitione; & tamen non sunt actus voluntarij, eo quod habent rationem pœnæ: ergo.

6 Ex secundo capite arguitur sic: Nam plura sunt voluntaria, quæ non procedunt ab intrinseco, aut ex cognitione: ergo prædicta diffinitio est diminuta. Antecedens probatur *primò*: nam actus charitatis est voluntarius; & tamen non est à principio intrinseco, sed ab auxilio, aut habita, quæ sunt ab extrinseco: ergo.

Secundò: Nam data hypothese, quod Deus amorem a me elicitum poneret in voluntate alterius, redderet illam volentem, quia est eius effectus formalis: ergo etiam voluntarium; & tamen non procedit à principio intrinseco: ergo. Hoc maxime videtur in motibus primis, & indeliberatis, qui à Deo causantur; qui tamen voluntarij sunt voluntario saltem imperfecto.

Tertio: Nam potest stare peccatum absque vlla cognitione, vt si quis dormiens ex causa voluntaria aliquid faciat, aut omittat contra legem; & tamen est voluntarium: ergo.

Quarto: Nam omisio peccaminosa est voluntaria; & tamen nequit procedere ab intrinseco, eo quod est carentia: ergo.

7 Ad primam objectionem respondetur concedendo maiorem; & negando minorem. Et ad primam probationem dicendum est, quod cognitio, prout præcisè procedit ab intellectu, si careat omni imperio voluntatis, vel ab eo præcindatur, non convenit diffinitio voluntarij ex defectu illius particule *ex cognitione*: ad quam verificandum desideratur, quod supponat ipsam cognitionem, & non sufficit, quod sit ipsa cognitio finis. Idemque dicendum est de cognitione mediorem præsupponente cognitionem finis: quia ad motum voluntarium requiritur, quod præcedat cognitio finis, vt finis, hoc est, quod finis moveat ex vi cognitionis per modum finis alliciendo, & attrahendo appetitum, quæ est propria motio finis: vna autem cognitio, quamvis oriatur ex alia, solum oriatur ex illa vt inferente, non vt alliciente, & sic non movet ad illam finis per modum finis.

Ad secundam respondetur, quod amor, quo Angelus diligit Deum auctorem nature, solum dicitur *naturalis*, proutly *naturale* distinguitur à supernaturali, & libero, secus verò prout distinguitur à voluntario: quia procedit, non præcisè ex inclinatione nature, sed ex inclinatione orta ex forma apprehensa, & motus

sic procedens bene potest esse voluntarius. Idemque dicimus de amore, quo nos diligimus beatitudinem in communi. Ad *tertiam* responderetur, quod voluntarium non solum est illud, quod denominatur obiectum *volitum*, vt distinguitur à *nolito*, sed etiam quod denominatur *nolitum*: quia prima denominatio est propria motus prosecutionis, & secunda motus fuga, & appetitus non solum voluntarie amat, & profertur, sed etiam voluntarie odit, & fugit. Nisi mavis dicere, quod *nolitio* in quadam latè significatione denominatur etiam obiectum *volitum*, inquantum denominatur actum à voluntate, sed potest tangi, vel amando, vel fugiendo.

Ad *quartam* respondetur, quod dolor, & tristitia, proprie loquendo, non habent rationem pœnæ: quia procedunt à voluntate, quod est contra rationem pœnæ, vt dicimus tract. de Peccatis. Sequuntur tamen apprehensionem mali, in qua pœna consistit; & hac ratione possunt improprie, & indirectè dici pœnæ.

8 Ad secundam objectionem respondetur, negando antecedens. Cuius nulla probatio aliquid suadet. Non *prima*: quia licet actus charitatis dependeat à charitate ab extrinseco communicata tanquam à virtute totali, procedit etiam adæquate à voluntate tanquam à principio quod, seu tanquam à virtute radicali, modo explicato in tract. de Visione Dei; & hoc sufficit, vt sit voluntarius. Et instatur: tum in visione beata, quæ estò dependeat modo dicto à lumine gloriæ proveniente ab extrinseco; et tamen vitalis, quia etiam procedit adæquate ab intellectu. Tum in quolibet actu voluntario procedente radicaliter ab anima, quæ provenit ab extrinseco. Nec *secunda*: nam talis hypothese est omnino impossibilis; & potest dici, quod ex impossibili sequitur quodlibet. Sed admittitur hypothese, dicendum est, quod volentis non redderetur volens per illum amorem, sicut nec intellectus redderetur intelligens per intellectum alterius. Ad summum voluntas recipiens illum amorem solum denominaretur sustentans entitatem illius: ad eam modum quo si per possibile, vel impossibile gratia reciperetur in lapide, non tribueret ei suum potissimum effectum formalem, cuius non est capax, sed tantum denominaret *effectum gratia* quoad entitatem, vel communicaret ei denominationem accidentis. Ad id, quod dicitur de motibus primis, facile responderetur, quod solum causantur à Deo tanquam ab extrinseco movente, sed voluntas verè est principium intrinsecum elicitivum illorum, & diriguntur per cognitionem finis, etiam imperfectam. Nec *tertia*: nam peccatum commissum in somnis, sicut est voluntarium in causa, ita est cognitum in causa; & sic datur debita proportio. Nec *quarta*: nam omisio, carentia, seu privatio capax est terminandi in-

influxum positivum voluntatis indirectè, quamvis non directè. Et vergetur in morte, quæ est privatio, & terminat indirectè influxum positivum generantis aliam formam.

DUBIUM II.

Utrum voluntarium proprie reperitur in brutis?

Nulli dubium est, voluntarium verè & proprie reperiri in hominibus: quia experientia constat, inveniri in eis motum ab intrinseco cum cognitione finis. Difficultas tamen est, an diffiniti o voluntarij competat brutis. Cuius resolutio maxime conducit ad explicandam primam illam divisionem voluntarij in *perfectum*, & *imperfectum* traditam num. 3.

§. I.

Sententia Theologorum communis.

9 Dicendum est, voluntarium verè & proprie convenire brutis: Hac conclusio est Arist. 3. Ethic. cap. 1. ubi ait: *Voluntario quidem, & pueri, & omnia animalia commutantur; electio autem non.* Philosophum sequuntur Nisen, & Damascenus relati à D. Thoma, necnon Angelicus Doctor art. 2. & communiter Theologi.

Et probatur ratione: Nam voluntarium proprie est illud, quod procedit ab intrinseco cum cognitione fini; sed in brutis sunt actus procedentes à principio intrinseco cum cognitione finis: ergo voluntarium proprie competit brutis. Maior constat ex dictis dubio præcedenti. Et minor liquet: nam in illis invenitur principium intrinsecum, videlicet appetitus sensitivus habent insuper cognitionem finis, quamvis imperfectam: ergo in brutis sunt actus procedentes à principio intrinseco cum cognitione finis.

10 Respondebis, bruta non cognoscere finem formaliter, & propterea docuimus tract. præced. non agere proprie propter finem. Vnde cum sit de ratione voluntarij, quod agens se moveat in finem, nequit huiusmodi ratio proprie eis convenire.

Contra est: Nam id sufficit ad rationem propriam voluntarij, quod satis est ad hoc, vt motus voluntarius distinguitur à motu violento, & à motu naturali procedenti cum inclinatione nature; sed ad hoc sufficit, quod motus procedat ab intrinseco, & ex cognitione absoluta finis, & non requiritur, quod procedat ex cognitione collativa finis, quod est cognoscere finem formaliter: ergo quamvis bruta non cognoscant finem formaliter, & propterea non agant proprie propter finem, debet tamen in eis

salvari vera & propria ratio voluntarij. Maior constat: nam *voluntarium* hic sumitur, prout distinguitur contra violentum, & contra motum naturalem procedentem præcisè ex inclinatione nature, non verò prout distinguitur contra liberum, aliàs nullum motus necessarius esset voluntarius. Minor verò probatur: nam eo ipso, quod procedat ab intrinseco, distinguitur à violento; & eo ipso, quod procedat ex cognitione absoluta finis, inquantum est sibi conveniens, & appetibilis, procedit ex inclinatione intentionali, & distinguitur à motu vitali purè naturali, qui procedit præcisè ex inclinatione nature: ergo motus procedens ab appetitu sensitivo brutorum habet, quidquid requiritur ad hoc, vt distinguitur à motu violento, & purè naturali.

Nota tamen, idem dicendum esse de motu appetitus sensitivi in homine, prout provenit, aut præcinit ab omni imperio voluntatis, seu prout convenit cum appetitu brutorum, vt ex se liquet: necnon de parvulis, & amentibus militat eadem ratio.

11 Ex his colligitur, divisionem voluntarij in perfectum hominis, & imperfectum brutorum esse univocam, & generis in species. Ita colligunt communiter Theologi, contra nonnullos, quos suppresso nomine refert Ioannes à Sancto Thoma in præf. disp. 3. art. 2. num. 50. Et probatur breviter: nam nullum est caput, in vi cuius ratio voluntarij non esset univoca, nisi quia ratio voluntarij brutis conveniens, non esset vera & propria ratio voluntarij; sed brutis convenit propria ratio voluntarij: ergo ratio voluntarij est univoca respectu hominis, & bruti. Maior solum eget explanatione: Nam bruta conveniunt univocè in ratione cognoscitivi, & appetitivi: ergo nihil potest obflare ad hoc, vt ratio voluntarij sit univoca respectu hominis & bruti, nisi quod in brutis non esset vera & propria, sed tantum metaphorica. Si ergo ratio propria voluntarij convenit brutis, non est caput unde ratio voluntarij abstractans à perfecto hominis, & imperfecto bruti non sit univoca; aliàs cognitio intellectiva hominis, & cognitio bruti distinguuntur specie, & ob eandem rationem appetitus rationalis, & appetitus bruti: ergo prædicta divisio voluntarij est generis in species. Idem dicendum est de voluntario imperfecto appetitus sensitivi hominis, & de eius voluntario perfecto, vt ex se liquet.

12 Sed aliter discurrendum est de voluntario perfecto appetitus rationalis, & voluntario imperfecto eiusdem appetitus, quorum divisio non est essentialis, sed præcisè penes diversos gradus maioris, & minoris perfectionis intra eandem speciem hominis. Quod est multiplici capite potest ostendi. Primò, eo quod divisio voluntarij perfecti in *liberum*, & *necessarium* non est essentialis, vt infra ostendemus: ergo

nec divisio voluntarij rationalis in perfectum, & imperfectum est essentialis. Secundo ex eo, quod idem actus numero, qui nunc ex imperfecta deliberatione est peccatum veniale, potest perseverare adveniente deliberatione, & fieri peccatum mortale: ergo etiam erit idem numerus actus in ratione voluntarij. Patet consequentia: nam actus est voluntarius, quia procedit à voluntate: si ergo, stante diversitate ex parte cognitionis, adhuc fiat eadem entitas actus, planum est, quod manet idem numerus voluntarium. Antecedens pronunc supponitur.

Tertio, & præcipue: nam quoties obiectum propositum ab intellectu est idem formaliter, actus versantes circa illud nequeunt distinguuntur essentialiter, sed potest idem obiectum formaliter proponi voluntati per cognitionem perfectam, & imperfectam: ergo actus voluntatis versantes circa illud non distinguuntur essentialiter. Minor probatur: nam dum cognitio perfecta, & imperfecta proponunt voluntati eandem bonitatem obiecti, non sunt ex se sufficientes ad diversificandum formaliter prædictum obiectum: ergo idem obiectum formaliter potest proponi per cognitionem perfectam, & imperfectam voluntati. Antecedens probatur: Tum quia cognitio tantum se habet ut conditio, & non ut ratio formalis: ergo quoties proponitur idem obiectum, manet idem formaliter, est detur diversitas ex parte cognitionis perfectæ, & imperfectæ. Tum etiam: nam ob hanc rationem tenent communiter Thomistæ, actum charitatis in via, & in patria esse eiusdem speciei, quamvis in via regulatur per cognitionem imperfectam & obscuram, & in patria per cognitionem perfectam & claram.

Obiectione contra conclusionem.

13 **C**ontra prædictam conclusionem nulla dicitur opposita sententia. Nilominus obijciuntur primo ex D. Thoma, qui in hac 1.2. q.1. art.2. docet, solam naturam rationalem agere propter finem, quia ipsa sola se movet, & ducit in finem; sed de ratione voluntarij est, ut agens se moveat & dirigat in finem: ergo ratio voluntarij proprie non convenit brutis. Et confirmatur: Nam ad voluntarij non sufficit, quod procedat ab intrinseco, & quod præsupponat cognitionem utrinque, sed requiritur, quod agens moveatur ex cognitione finis; sed bruti, proposito sibi obiecto, non moventur ex vi ipsius cognitionis, sed insinuantur auctoritate nature, ut tradit D. Thomas 2. Contra gentes cap. 17. art. 3. ergo in eis non reperitur voluntarium proprie dictum. 5. Confirmatur secundo: Nam in præf. art. 7. ad 3. ait: *in his, que visum rationis non habent, neque voluntarium est, neque involuntarium.*

Ad obiectionem responderetur, dupliciter posse aliquid se dirigere in finem ex vi cognitionis: vel quia apprehenditur res, quæ est finis quantum ad absolutam bonitatem, & convenientiam, & ex vi prædictæ apprehensionis agens movetur ad proficiendam illam; vel quia non solum apprehenditur res, quæ est finis, quantum ad absolutam bonitatem, & convenientiam, sed etiam quia cognoscitur cum collatione, & comparatione ad media, & proportio mediorum ad ipsum finem. Hoc vitium omnino requiritur ad hoc, ut agens agat proprie propter finem, ut diximus tract. præced. sed ad veram rationem voluntarij sufficit præmissus modus apprehendendi finem, qui vere reperitur in brutis: quamvis posterior modus apprehensionis non eis conveniat à se, sed per insinuationem impressam ab auctore nature: quia dum hirundo (v.g.) coligit paleam ad constructionem nidi, quamvis cognoscat vitilitatem, & convenientiam pro constructione nidi, non tamen illam cognoscit ex ipsis obiectis per comparationem, & collationem inter se, sed per insinuationem nature: & propterea verè & proprie non agit propter finem, quia non cognoscit finem formaliter: sed voluntarie movetur, quia habet simplicem cognitionem finis. Per quod constat ad primam confirmationem. ¶ Ad secundam responderetur, D. Thomam loqui sibi de voluntario perfecto, in quo agens movetur ex propria electione, & quod est fundamentum moralitatis; & hoc non invenitur in his, quæ carent usu rationis.

14 **O**bjiciuntur secundo: Nam eo modo dicitur voluntarium, quo participatur voluntas voluntarium enim dicitur tale à voluntate; sed voluntas proprie non convenit brutis, sed tantum secundum quid, & metaphorice: ergo neque convenit eis propria ratio voluntarij. Maior tota habetur in D. Thoma in hoc art. 2. ad 1. ubi ait: *Voluntarium denominatio dicitur à voluntate, & potest trahi ad ea, in quibus est aliqua participatio voluntatis.* ¶ Et confirmatur ex D. Thoma quaest. 2. de Veritate art. 2. ad 1. ubi hæc habet verba: *Voluntarium ponitur in brutis, non secundum quod convenit cum voluntate, sed opponitur violento; sed voluntarium, quod non convenit cum voluntate, non est proprie voluntarium: ergo voluntarium proprium non convenit brutis.*

Ad obiectionem responderetur, quod voluntarium dicitur à voluntate, ut à quo nomen imponitur tanquam à principaliori in genere appetitus; sed non solum voluntatem significat, sed etiam quemlibet appetitum elicivum: nam aliud est, à quo nomen imponitur; & aliud id, quod significatur. Explicatur aliquibus exemplis: actus humanus ab homine dicitur; & tamen actus Angelorum maxime liberi dicuntur proprie humani. Item studiosus sumit nomen à vir-

virtute speciali studiositatis, & proprie dicitur studiosus, qui exercet quamlibet animam virtutem. Et ratio huius est: quia denominativa dicuntur quasi per participationem à forma denominante, & multoties trahitur ad significandum proprie ea, in quibus est aliqua participatio & similitudo: maxime si sunt denominativa per modum adiectivi, quæ latius se extendunt, quam forma, à qua desumpta est denominatio. Adde: quod voluntarium dicitur à voluntate generice desumpta, prout abstrahit à rationali, & irrationali, & solum significat appetitum elicivum.

Ad confirmationem, & auctoritatem adductam ex 2.4. de Veritate responderetur, quod D. V. Thomas solum intendit sibi, in brutis non dari liberum arbitrium, & consequenter nec voluntarium perfectum, quale reperitur in voluntate. Et in hoc sensu dicit, quod voluntarium, quod est in brutis, non convenit cum voluntate: quasi dicat, quod in brutis non reperitur voluntarium specificum hominis, quod verissimum est. Sed aperte concedit in eis voluntarium, nec negat convenire vivocè secundum genus voluntarij cum voluntario perfecto.

DUBIUM III.

An sub voluntario perfecto contineatur necessarium? Et an divisio in liberum, & necessarium sit essentialis?

15 **H**OC dubium præcipue movetur propter amorem necessarium quoad exercitium, procedentem tamen ex cognitione perfecta, qualis est amor beatificus, amor, quo Deus diligit seipsum, & producit Spiritum sanctum, & amor, quo Angelus diligit seipsum, & Deum finem naturalem. De quibus supponendum est primo, esse verè, & proprie voluntarios: quia procedunt à principio intrinseco cum cognitione: & hoc adminis persuadent ea, quæ diximus dubio precedenti. ¶ Supponendum est secundo, prædictos actus necessarios ex perfecta cognitione procedentes non esse liberos, quia ad libertatem veram & propriam requiritur saltem indifferentia contradictionis, & sine illa nullus actus dicendus est absolute liber. Et propterea Michael Baius confundens voluntarietatem cum libertate damnatur à Pio V. & Greg. XV. in his duabus propositionibus. Prima est: *Quod voluntarie fit, etiam si necessitate fiat, liberè fit.* Secunda est: *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* Et si olim Patres actum necessarium procedentem ab intrinseco ex perfecta cognitione, & actum liberum pro eodem usurpabant; loquebantur de libertate solum à coactione. Sed nunc propter hereticos huius temporis cum maiori circumspecte

Paul. T. deol. Salm. Tom. II.

atione loquendum est. Unde tota difficultas reducitur ad duo capita in titulo proposita.

Circa quam duplex militat sententia. Prima docet, voluntarium necessarium, esse procedat ex perfecta cognitione, non contineri sub voluntario perfecto, sed comparative ad liberum esse imperfectum. Item docet, divisionem voluntarij in liberum, & necessarium esse generis in species. Ita Vazquez in præf. disp. 23. cap. 4. Lorea disp. 1. sect. 2. & alij. ¶ Secunda asserit, voluntarium necessarium procedens ex perfecta cognitione contineri sub voluntario perfecto, & esse perfectius libero in ratione voluntarij, prædictamque divisionem non esse generis in species, sed subiecti in accidentia, sicut in duos modos accidentales. Hanc defendunt communiter Thomistæ cum D. Thoma insisterendo. Quibus suffragantur Valentia disp. 26. punct. 1. Francisco Felix ex familia Seraphica, & alij.

S. I.

Assertio prima.

16 **D**icendum est primo, actum necessarium quoad exercitium ex perfecta cognitione obiecti procedentem esse voluntarium perfectum, perfectiusque esse in ratione voluntarij voluntario libero. Hac conclusio quoad utranque partem non obscure colligitur ex D. Thoma in præf. art. 2. ubi sub voluntario perfecto collocat id, quod procedit ex cognitione perfecta; ad distinctionem voluntarij imperfecti, quod apud D. Thomam sibi est tale, quia procedit cum cognitione imperfecta.

Hinc nostra conclusio quoad primam partem probatur ratione: Nam cum competit distinctio voluntarij perfecti, perfectum voluntarium est; sed actui omnino necessario ex perfecta cognitione procedenti, v.g. amori beatifico, competit distinctio voluntarij perfecti: ergo est voluntarium perfectum. Maior est innegabilis. Et minor probatur: nam voluntarium absolute distinctum per hoc, quod procedat ab intrinseco cum cognitione: ergo voluntarium imperfectum distinctum per hoc, quod procedat ab intrinseco ex perfecta cognitione: ergo amori beatifico competit distinctio voluntarij perfecti.

17 **R**espondebis cum Vazquo, ad perfectum voluntarium non sufficere, quod procedat ex perfecta cognitione, sed requiri, quod perfectè procedat ab intrinseco; ad hoc autem requiritur, quod obiectum proponatur cum indifferentia: nam agens magis movetur à se, & ab intrinseco, dum non determinatur ab obiecto, sed à se, quam dum determinatur ad vitium

ab objecto. ¶ Huius evasioni affinis est ea, quam tradit Lorea, dicens amorem necessarium procedentem ex perfecta cognitione fieri imperu naturæ potius, quam ex vi cognitionis: ob quam rationem diximus num. 13. voluntarium brutorum non provenire omnino ab intrinseco, nec esse voluntarium perfectum.

Sed utraque evasio efficaciter refellitur, si ad novam formam ratio nostra reducat ex dictis num. 2. Nam motus ille, respectu cuius agens habet in se principium intrinsecum adæquatum est perfecte voluntarius; sed motus necessarius ex vi cognitionis perfectæ procedit ex principio intrinseco adæquato: ergo est perfecte voluntarius. Minor probatur: nam, supposita cognitione perfecta finis, motus voluntatis adhuc necessarius movetur intrinsece à voluntate, cum ab ea elicitur; movetur etiam intrinsece à fine formaliter, ut finis est; sed nihil aliud desideratur, ut in agente salvetur principium intrinsecum adæquatum motus: ergo motus necessarius ex vi cognitionis perfectæ procedit ex principio intrinseco adæquato. Minor constat ex dictis num. 2. & dubio præced. num. 13. ubi ex eo negavimus bruta moveri adæquate ab intrinseco, nec eorum motum esse perfecte voluntarium, quia non moventur intrinsece à fine, ut finis est.

Et confirmatur hoc: Nam in motu libero non minus determinatur agens à propositione objecti, quam in motu necessario; siquidem nullatenus determinaretur agens ad hunc motum potius, quam ad illum, nisi præsupponeretur propositio huius objecti determinati potius, quam alterius, cum discrimine assignandi disput. sequenti inter motum liberum, & necessarium; hoc non obstanti, concedunt Adversarij agens movere se ab intrinseco perfecte ad motum liberum: ergo quod voluntas trahatur necessario ex bonitate objecti, non impedit ad hoc, ut eius motus sit perfecte voluntarius, dummodò hæc necessitas oriatur ex perfecta cognitione objecti.

Roboratur hoc, retorquendo evasionem contra Adversarios: Nam ad voluntarium perfectum non minus requiritur, quod agens moveatur intrinsece ex parte sui, quam quod moveatur intrinsece ex parte finis: ergo si agens, quod fortius movetur à bonitate objecti proposita per cognitionem perfectam hoc est, ex parte finis, movetur minus ab intrinseco ex parte efficientis, etiam quò magis movetur intrinsece ex parte efficientis propter indifferentiam objecti, minus movetur intrinsece ex parte finis, eò quod proponitur cum indifferentia, ut ex se liquet: ergo vel motus liber non pertingit ad voluntarium perfectum ex defectu influentiæ perfectæ finis; vel motus necessarius ex perfecta cognitione procedens est perfecte voluntarius, est voluntas rapiatur à bonitate objecti.

18. Probatur secundò ratione Nam amor, quo Deus diligit necessario suam infinitam bonitatem, & producit Spiritum-sanctum, est perfectissimè voluntarius; sed hoc non ex alio capite contingit, nisi ex eo quod procedit ex perfectissima cognitione prædictæ bonitatis: ergo actus necessarius procedens ex perfecta cognitione objecti est perfecte voluntarius. Maior probatur: Tum, quia in Deo nihil est imperfectum, si verè & propriè reperitur in eo, vel est perfectum in sua linea: ergo vel neganda est in Deo vera ratio voluntarij, vel voluntario necessario concedenda est ratio voluntarij perfecti. Tum etiam: nam talis amor est ex perfectissima cognitione, & à perfectissima voluntate: ergo est perfectissimè voluntarius.

19. Respondent Adversarij, prædictum actum Dei esse perfectum entitative, sed non in ratione voluntarij. In quo nullum est inconveniens, quia ratio voluntarij perfecti potius est nota imperfectiōnis, quam perfectionis, eò quod terminatur ad objectum finitum.

Sed hæc evasio impronè manifestè petit principium: quia totus nervus illius debet reduci ad hoc, quod objectum sit tale, ut perfecte cognitum petat proponi cum indifferentia; sed hoc est petere principium: nam hoc est, quod à principio negamus, nempe quod voluntarium perfectum nequeat terminari ad objectum perfecte cognitum, & sapiens necessario appetitum.

Deinde refellitur efficaciter: Nam voluntarium est perfectio simpliciter simplex; sed repugnat aliquid imperfectum in Deo: ergo vel amor Dei non est absolute voluntarius, vel non solum est perfectissimus in esse entis, sed etiam in ratione voluntarij. Maior, in qua solum potest esse difficultas, fuadetur. Tum, quia principia, ex quibus dependet voluntarium, nempe cognitio, & voluntas, sunt perfectiones simpliciter simplices: ergo etiam voluntarium. Tum etiam: nam ratio voluntarij est intrinseca actui, imò omnino identificata cum entitate illius, & iuxta sententiam Adversariorum divisio illius in liberum & necessarium est generis in species: ergo aperte repugnat, quod amor Dei sit perfectissimus in ratione entis, & imperfectus in ratione voluntarij.

Vltierius refellitur hæc evasio cum præcedenti adhibita rationi priori: siquidem motus ille, qui procedit ex perfecta cognitione objecti adæquantis totam universalitatem voluntatis, & à tota voluntate, non est, cur neganda sit ei ratio perfecta voluntarij, cum ab his principijs sumat totam suam denominationem voluntarij; sed amor, quo Deus diligit seipsum (idem dicendum est de amore beatifico creato) procedit ex perfecta cognitione objecti adæquantis universalitatem voluntatis, necnon à tota voluntate, cum ex vi prædictæ cognitionis, & non ex alio capite totis viribus, totoque conatu volun-

tus feratur in huiusmodi objectum: ergo est perfectissimè voluntarius.

20. Quoad secundam partem probatur eadem assertio: Nam amor charitatis in via perficitur in patria tam ex parte cognitionis, quam ex parte voluntatis; sed amor charitatis in via est liber, & in patria est necessarius: ergo voluntarium necessarium est perfectius voluntario libero. Maior, in qua pronè est tantum difficultas, quoad primam partem videtur per se nota: siquidem visio est perfectior cognitio, pleniorque advertentia erga Deum, quam cognitio fidei. Quoad secundam etiam ostenditur: Nam, supposita visione, & perfectiori cognitione Dei, voluntas ex vi illius maiorem conatum, affectum, & inclinationem explicat in Deum, quam voluntas in via: ergo amor charitatis etiam perficitur in patria ex parte voluntatis.

Confirmatur hoc, & simul præcavetur evasio Adversariorum: Nam amor charitatis via ex parte voluntatis non solum perficitur in patria in esse entis, sed etiam in ratione voluntarij: ergo actus necessarius procedens ex perfecta cognitione est magis voluntarius, quam actus liber. Antecedens probatur: Tum quia amor ille, in quo voluntas explicat suam maiorem inclinationem ex vi representationis perfectioris summi boni, est perfectior in ratione voluntarij; sed amor charitatis in patria ex vi perfectioris representationis, & cognitionis summi boni est maior inclinatio in summum bonum, quam amor in via: ergo amor in patria excedit amorem in via in ratione voluntarij. Tum etiam: quia ratio voluntarij essentialiter includitur in amore; maxime in sententia contraria iuxta quam divisio voluntarij in liberum, & necessarium est essentialis: ergo idem est amorem regulatum ex perfecta representatione objecti esse perfectiorem in esse entis, ac esse perfectiorem in esse voluntarij.

21. Roboratur hæc omnia sequenti ratione: Nam amor beatificus procedit magis ab intrinseco, tam ex parte cognitionis, quam ex parte voluntatis, quam amor via: ergo est magis voluntarius, & non solum perfectior in esse entis. Antecedens quoad primam partem apud Adversarios debet esse per se nota: nam apud illos, quia voluntas fortius rapitur à bonitate divina ex vi representationis perfectissimæ factæ per visionem beatam, minus movetur ab intrinseco ex parte voluntatis: ergo saltem ex parte cognitionis magis procedit ab intrinseco amor beatificus, quam amor via. Maxime: quia cognitio clara summi boni magis movet ad amorem illius, quam cognitio obcuræ: ergo magis procedit ab intrinseco ex parte cognitionis, seu ex parte finis amor beatificus, quam amor via.

Quoad secundam partem probatur ante-
Paul. Theol. Salm. Tom. II.

cedens: Nam ille amor procedit magis ab intrinseco ex parte voluntatis, in quo voluntas ut mota à cognitione, explicat maiorem suam inclinationem; sed per amorem beatificum ex vi visionis beatificæ voluntas explicat maiorem inclinationem, quam per amorem viarum: quidem maiori conatu, & affectu per illum tendit in Deum, quam per istum, ut ex se liquet: ergo procedit magis ab intrinseco.

Et confirmatur: Nam ille actus est magis voluntarius, qui est intimior voluntati; sed, supposita perfecta cognitione objecti, actus necessarius est intimior, quam actus liber: ergo est magis voluntarius. Maior videtur certa: quia, quò actus est intimior potentia, procedit magis ab intrinseco. Minor verò probatur: nam actus procedens à voluntate per modum nature, supposito principio adæquato intrinseco illius, est intimior, quam actus procedens ab ea per modum potentie liberæ; sed actus necessarius supponens perfectam cognitionem objecti, ex vi cuius petit esse necessarius, procedit à voluntate per modum nature supponens principium adæquatum intrinsecum sui ipsius: ergo est intimior voluntati. Maior est certam prior, & intimior est in voluntate conceptus nature, quam conceptus libertatis, itaut posterior fundetur in priori. Minor est non minus certa: nam omnem liberum præsupponit aliquid necessarium: ergo actus necessarius procedit à voluntate per modum nature.

Diximus, supposita cognitione perfecta objecti, & principio adæquato intrinseco ad excludendum actum necessarium ex imperfecta cognitione, qui est procedat à potentia per modum nature, non tamen est intimior actu libero, eò quod non supponit principium intrinsecum adæquatum, iuxta dicta duobus dubijs præcedentibus.

Confirmatur secundò: Nam motus voluntatis in finem est magis voluntarius, quam motus in media; & tamen motus in media est magis liber, quam motus in finem: ergo, cæteris paribus ex parte cognitionis, magis voluntarius est motus necessarius, quam motus liber. Maior est certa: Tum quia in ordine ad finem explicat suam primariam inclinationem; & primaria inclinatio voluntatis, cæteris paribus, est magis voluntaria. Tum etiam: quia voluntas non inclinatur in media nisi ratione finis, & propter quod unumquodque tale, & illud magis: Si ergo magis inclinatur in finem, motus in finem est magis voluntarius. Minor verò probatur: Contingit enim, quod voluntas sit necessitata, vel quoad specificationem tantum, vel simul quoad exercitium ad finem, & sit omnino libera ad media: ergo motus in media est magis liber, quam motus in finem. Adde: Quia libertas præcipue relucet in electione.

g. II.

Assertio secunda.

22 **D**icendum est secundò, divisionem voluntarij in *liberum*, & *necessarium* ex perfecta cognitione, ex hoc præcisè capite non esse generis in species, seu essentialem, sed subiecti in accidentia. Hæc conclusio est consona his, quæ diximus num. 12. & est iuxta mentem D. Thomæ infra quæst. 67. art. 6. quem sequuntur communiter eius discipuli: quibus adherent Valencia disp. 2. punct. 1. & Franciscus Felix ex familia Seraphica tract. de *Actibus humanis* cap. 1. different. 3. à num. 9. (cuius inconsequentiam infra videbimus) & possunt aggregari, quotquot asserunt, actum charitatis in via esse eisdem speciei cum actu charitatis in patria: pro quo modo dicendi præter discipulos D. Thomæ referunt N. Salmant. Suárezium, Vazquez, Torrem, Lorcam, & Oviedo.

Et probatur ratione de ducta ex D. Thoma loco proximè relato maximè ad 2. quam expendimus num. 12. Nam actus charitatis in via est eisdem speciei essentialis cum actu charitatis in patria: ergo etiam sunt eisdem speciei in ratione voluntarij: ergo divisio voluntarij in liberum, & necessarium ex hoc præcisè capite non est generis in species. Hæc ultima consequentia deducitur ex prima legitimè, & prima probatur, postea probandum antecedens: Nam actus voluntatis essentialiter est voluntarius: ergo vel sunt eisdem speciei in ratione voluntarij, vel non sunt eisdem speciei essentialis. Antecedens probatur: nam actus voluntarius est ille, qui procedit à voluntate ex directione intellectus; sed actus voluntatis petit secundum suam essentialitatem procedere à voluntate ex directione intellectus, ita ut, si auferatur, aut præcindatur huiusmodi processus & directio, non remaneat conceptus actus voluntarij: ergo actus voluntarius est essentialiter voluntarius.

Nunc probatur primum antecedens: nam actus respicientes idem obiectum formale sunt eisdem speciei essentialis; sed actus charitatis in via, & actus charitatis in patria respiciunt idem obiectum formale: ergo sunt eisdem speciei essentialis. Minor probatur: nam obiectum charitatis, sive in via, sive in patria, est Deus in seipso sub ratione *summi boni*: ergo habent idem obiectum formale.

23 Hic rationi potest responderi *primò* negando antecedens: Nam ad distinctionem specificam actuum sufficienter divertit cognitiones, quæ eisdem non se habeant, ut diversæ rationes formales, se habent ut diversæ conditiones, ex quibus oriuntur diversimodum tendendi in idem obiectum: & hi facti sunt ad distinctio-

nem specificam actuum. Hæc est genuina mens Scoti in 1. dist. 3. quæst. 3. ad rationes lit. C. quem sequuntur communiter eius discipuli.

Sed contra est: Nam iuxta hanc solutionem, & iuxta probabiliorum sententiam Scotij & Scotistarum, necnon iuxta certam D. Thomæ, & discipulorum eius, cognitio obiecti se habet ut mera conditio & applicatio illius, sed conditiones speciei diversæ, & applicationes diversæ non sufficienter ad diversitatem essentialium actuum, si applicatur, & proponitur per eas eadem ratio formalis obiectiva: ergo cum per cognitionem fidei, & visionem beatam proponatur, & applicetur voluntati eadem ratio formalis obiectiva, videlicet summa bonitas, qua Deus est perfectus in seipso, & diligibilis super omnia, nihil conducunt ad distinctionem specificam amoris in via, & in patria. Minor probatur: nam existentia est conditio necessaria ad agendum: item approximatio passiva est conditio ad hoc, ut ignis calefaciat; sed diversitas existentia non sufficit ad diversitatem specificam operationum, & ita humanitas Christi, quavis existat existentia divina, non elicit operationes speciei diversæ ab operationibus puri hominis: similiter maior, aut minor approximatio passiva, v. g. calefactibilis ad calefactivum, solum conducit ad maiorem, vel minorem intentionem calefactionis intra eandem speciem, & applicationes speciei diversæ provenientes à diversis causis non conducunt adhuc ad hanc maiorem, vel minorem intentionem, & prima probatur, postea probandum antecedens: Nam actus voluntatis essentialiter est voluntarius: ergo vel sunt eisdem speciei in ratione voluntarij, vel non sunt eisdem speciei essentialis. Antecedens probatur: nam actus voluntarius est ille, qui procedit à voluntate ex directione intellectus; sed actus voluntatis petit secundum suam essentialitatem procedere à voluntate ex directione intellectus, ita ut, si auferatur, aut præcindatur huiusmodi processus & directio, non remaneat conceptus actus voluntarij: ergo actus voluntarius est essentialiter voluntarius.

Et confirmatur: Nam cognitio fidei, & visio beata, cæteris paribus, solum conducunt ad maiorem & ardentiorum, vel minus ardentem amorem eisdem obiecti; sed diversitas hæc non arguit distinctionem specificam in actibus, aliàs inter amores charitatis in via, vel inter amores in patria daretur distinctio essentialis, cum detur distinctio penes maiorem, & minorem amorem Dei: ergo prædictæ cognitiones non sufficienter ad distinctionem specificam amoris.

Hinc probatur idem formaliter modus tendendi: Nam modi tendendi circa idem obiectum per maiorem, vel minorem intentionem non sunt speciei diversi, nisi obiectum proponatur sub diversâ ratione formali, ut cum proponitur sub ratione *absentis*, quo pacto generatur desiderium; cum proponitur sub ratione *presentis*, quomodo gignitur delectatio; sed amor secundum se, prout distinctus à desiderio, & fruitione, non tendit ad obiectum sub diversâ ratione formali, sive regulatur per fidem; sive

per

397

per visionem: quia tendit ad illud prout est bonum in se, & ut præcindens ab absentia, & presentia: ergo amor viae, & amor patriæ, prout distincti à desiderio, & gaudio, non habent modos formaliter diversos tendendi caulatos ex cognitione fidei, & visione.

Vegetur hoc: Nam amor amicitie, prout distinctus ab amore concupiscentiæ, & actus positivus charitatis, & tantum in via distinguitur ab amore patriæ, quia in patria causat fruitionem, vel identificatur cum ea; sed ex hoc ipso sequitur, quod non distinguitur essentialiter: ergo, quidquid sit ex vi huius rationis de amore concupiscentiæ, amor amicitie non debet distingui essentialiter in via, & in patria. Minor probatur: nam fructio correspondens amoris amicitie est eisdem speciei in via, & in patria: ergo potiori titulo amor debet esse eisdem speciei in via, & in patria. Antecedens probatur: nam fructio correspondens amoris amicitie in hoc distinguitur à fructione correspondenti amoris concupiscentiæ, quod prior respicit presentiam boni respectu amici, & posterior respectu amanti, quia uterque amor ex hoc capite essentialiter distinguitur; sed fructio correspondens amoris amicitie in via, & in patria eodem modo respicit presentiam boni respectu Dei, ut ex se liquet: & sicut in patria beatus videt summum bonum à Deo possideri, ita per fidem id ipsum credimus: ergo huiusmodi fructio non distinguitur essentialiter, in via, & in patria.

Nec distingere possumus inconsequentiam Francisci Felix, qui ex vna parte tract. de *Beatitudine* cap. 2. dist. 3. num. 11. tenet ex communi calculo Scotistarum, amorem Dei in via, & in patria distingui essentialiter, & tract. sequenti cap. 1. dist. 3. num. 9. docet, non distingui essentialiter in ratione voluntarij. Cuius inconsequentia offenditur *primò*: Nam, ut supra ostensum est, actus voluntatis essentialiter est voluntarius: ergo vel uterque amor non distinguitur essentialiter in *esse entis*, vel distinguitur essentialiter in ratione voluntarij. ¶ *Secundò*: Nam sicut ad actum voluntatis in *esse entis* requiritur, quod præcedat cognitioni obiecti velut conditio, ita debet præcedere ad ipsum actum in ratione voluntarij: ergo quod cognitio sit perfecta per visionem, vel imperfecta per fidem, vel est omnino accidentale respectu actus voluntatis quoad entitatem; vel est ratio sufficientis ad distinguendum illum in ratione voluntarij.

24 Secundò responderi potest nostræ rationi, concedendo antecedens; & negando primum consequentiam. Quia ratio voluntarij est quidam modus superadditus entitati actus: & optimè possunt eundem actum secundum suam entitatem afficere modi speciei diversi accidentales, ut in tract. sequenti dicemus. Hæc est legi-

tima mens Loræ, & forè Vazquij relati num. 22. si in eius sententia amor Dei in via, & in patria est eisdem speciei: quos proculdubio sequitur Ioannes à Sancto Thoma in præf. disp. 3. art. 3. num. 46.

Sed contra: Nam in actu voluntatis omnino inseparabilis, imò impræcindibilis est ratio specifica ipsius à ratione voluntarij: ergo vel distinguitur essentialiter quoad entitatem amor viae, & patriæ; vel non distinguntur in ratione voluntarij. Antecedens probatur: Tum, quia actus voluntatis essentialiter supponit cognitionem, & essentialiter procedit à voluntate, sed actus essentialiter procedens à voluntate, & supponens cognitionem est essentialiter voluntarius: ergo impræcindibilis est in actu voluntatis ratio specifica ipsius à ratione voluntarij. Tum etiam nam secundum utranque rationem respicit eadem principia specifica intrinseca, nempe, eandem bonitatem obiecti representantem, & ipsam voluntatem.

Nec refert, si dicas cum Ioanne à Sancto Thoma, quod voluntas, ut directa per cognitionem indifferentem, habet diversum modum se movendi ab eo, quem habet, ut directa per iudicium omnino determinatum, v. g. per visionem beatam; qui modo persè attenduntur ad rationem voluntarij. Non (inquam) hoc refert. Nam prædicta iudicia adeo diversa non solum concurrunt ad actum sub ratione voluntarij, sed etiam secundum suam entitatem: ergo vel sufficientia sunt ad distinguendum actus secundum suam substantiam, vel inepta sunt ad distinguendum illos in ratione voluntarij.

Et confirmatur *primò*: Nam si prædicti actus essent speciei diversi in ratione voluntarij, vnus alterum excederet essentialiter in ratione voluntarij, cum species, sicut numeri, se excedentes sint in perfectione: ergo vel actus liber excederet in ratione voluntarij actum necessarium: vel converso: neutrum dici potest. Non primum: quia non minus perfectus est in ratione voluntarij actus, quo Deus diligit seipsum, quam actus, quo libere diligit creaturas. Maxime: quia actus procedens ex perfecta cognitione obiecti est perfectè voluntarius, & procedens ex perfectiori cognitione etiam est perfectior in ratione voluntarij, ut prælaudatus Magister rectè ponderat num. 34. Nec secundum: nam actus procedens necessario ex vi cognitionis perfectæ comparatur à prædicto Authore num. 47. actui procedenti ex impetu naturæ, in quo agens non ita se movet ab intrinseco, sicut in actu libero: ergo prædictus actus non est perfectior in ratione voluntarij, quam actus liber.

Confirmatur *secundò*: Nam actus liber, prout liber addit supra actum secundum se, quendam modum accidentalem, ratione cuius constituitur in ratione liberi, ut dicemus dist. sequenti, qui in probabiliori sententia est separa-

ra.

rabilis à substantia actus: ergo pro priori ad illum actus est voluntarius, cum egrediatur à voluntate cum cognitione: ergo actus liber, & necessarius non importat differentias essentialis adhuc in ratione voluntarij.

§. III.

Argumenta contra utranque conclusionem.

Arguitur primò ex D. Thoma in præf. art. 2. ubi ait: *Perfectam igitur cognitionem finis sequitur voluntarium secundum rationem perfectam, prout scilicet apprehensio sine, aliquis potest deliberans de fine, & de his, que sunt ad finem, moveri in finem, vel non moveri. Imperfectam autem cognitionem finis sequitur voluntarium secundum rationem imperfectam: prout scilicet apprehendens finem non deliberat, sed subito movetur in ipsum.* Et ad 3. ait: *Quòd laus, & vituperium consequuntur actum voluntarium secundum perfectam voluntarij rationem.* Quæ loca tanquam expressa pro sui sententia magnificant Vazq. & Lorca.

Et confirmatur, ex his quæ dicit 1. part. quæst. 41. art. 1. ad 3. ubi docet: *Processionem Spiritus sancti esse à voluntate et natura; & sic naturaliter procedit Spiritus sanctus, quamvis per modum voluntatis procedat; sed quòd procedit à voluntate per modum nature, hoc est, impetu nature, non est perfectè voluntarium: ergo solum voluntarium liberum est perfectè voluntarium.*

Ad argumentum respondetur, D. Thomam ad explicandum voluntarium perfectum aperte exigere, quòd motus procedat secundum cognitionem perfectam; & quia de ratione motus omnino deliberati est, quòd procedat ex cognitione perfectà, propterea ait, prædictum motum esse perfectum voluntarium. Sed neutiquam negat, motum necessarium ex perfectà cognitione procedentem esse perfectum voluntarium; quin potius hoc deducitur ex eius doctrina, cù solum excludat à ratione perfecti voluntarij motum ex imperfectà cognitione procedentem. Per quod constat ad secundum testimonium: Nam verum est, quòd laus, & vituperium consequuntur voluntarium perfectum; sed non tantum hoc voluntarium, ad quòd sequitur laus, aut vituperium, est perfectè voluntarium.

Ad confirmationem respondetur, aliud esse processionem Spiritus sancti procedere à voluntate per modum nature, fumendo naturam pro appetitu innato, aliud proceere ab ea per modum nature, fumendo eam pro appetitu elicitò: primus modus procedendi est contra rationem voluntarij perfecti, & propterea, quia bruta operantur per modum nature, fumendo naturam partim pro appetitu innato, & partim pro appetitu elicitò, non est in eis perfectum

voluntarium. At processio Spiritus sancti est à voluntate per modum nature, fumendo naturam adæquatè pro appetitu elicitò, quia procedit ex perfectissima cognitione: ideoque est perfectè voluntaria. Quinimò Div. Thomas quæst. 10. de Potent. art. 2. ex eo probat, processionem Spiritus sancti non esse generationem, quia non procedit per modum nature, fumendo naturam in priori acceptance, sicut est processio Verbi, sed per modum voluntatis, quia supponit prædictam processionem Verbi, & consequenter cognitionem perfectam obiecti.

26 Arguitur secundò: Nam voluntarium perfectum est proprium nature intellectualis, ut docet D. Thom. in præf. sed appetere necessarium etiam competit brutis: ergo in actu necessarium non reperitur perfectà ratio voluntarij.

Ad hoc argumentum facile respondetur, concedendo præmissas, & negando consequentiam. Nam appetere necessarium competens brutis procedit ex imperfecta cognitione obiecti, ideoque non pertingit ad perfectam rationem voluntarij. Sed potest contingere, quòd motus voluntarius sit necessarius, ex eo quòd procedit ex perfectissima cognitione summe bonitatis; & tunc talis motus ita est necessarius, quòd solum conveniat nature intellectuali. Unde ex hoc capite non debet excludi à ratione voluntarij perfecti.

27 Arguitur tertio: Nam illud est perfectius voluntarium, quòd magis procedit ab intrinseco, tam ex parte cognitionis, quam ex parte voluntatis; sed actus liber est huiusmodi: ergo solum actus liber est perfectè voluntarius. Minor quoad primam partem probatur: nam ille actus procedit magis ab intrinseco ex parte cognitionis, quando non solum iudicat de bonitate obiecti, sed etiam de exercitio ipsius actus; sed actus liber supponit cognitionem, quæ iudicat non solum de bonitate obiecti, sed etiam de exercitio actus, quia hoc pertinet ad libertatem quoad exercitium; e contra verò visio beata non iudicat de exercitio actus, quia, proposito summo bono, actus necessarius fit, atque ideo non est necessarium iudicium de convenientia actus: ergo actus liber procedit magis ab intrinseco ex parte cognitionis.

Quoad secundam etiam partem probatur: nam in actu libero magis se movet agens, & minus movetur ab intrinseco, quam in actu necessario: siquidem est in manu sua moveri, vel non moveri ad actum liberum, secus verò ad actum necessarium: ergo voluntarium liberum magis procedit ab intrinseco ex parte voluntatis, quam necessarium.

Ad hoc argumentum satis constat ex dictis num. 21. Ex quibus negandum est antecedens quoad utranque partem. Et ad probationem pro prima dicendum est, quòd quando actus

actus est necessarius, necessitate orta ex perfectissima cognitione, & ex perfectissima bonitate obiecti, voluntas magis movetur ad illum ex parte cognitionis, quam ad actum liberum, quia fortius rapitur à prædicta cognitione, quam à cognitione proponente obiectum cum indifferentia. Aliter contingit in actu necessario proveniente ex imperfecta cognitionis, quò non movet appetitum ex eo, quòd representat ei summam bonitatem, neque proponit finem sub ratione finis: unde ad illum movetur ex instinctu nature. Neque est verum, quòd visio beata non iudicat de convenientia actus: Nam id, quòd præstat cognitio indifferens formaliter, præstat etiam visio simpliciter intuitu eminenter; iudicatque de ipso amore, eliciendo illum cum omnimoda determinatione, & quòd cessatio ab actu est impossibilis. Maxime: quia cognitio non influit persè in actu voluntatis, nisi quatenus proponit bonitatem obiecti, quæ est ratio alliciendi voluntatem. Si autem voluntas persè movetur ad actum, est, quatenus reflexit supra illum, & prout sic respicit illum per modum obiecti. Sed ad voluntarium perfectum liberum non requiritur hæc reflexio. Adde: quòd cognitio illa magis influit in voluntarium, quæ magis excludit ignorantiam, quæ est causa involuntarij; & in hoc visio beata excedit omnes alias cogniciones.

Ad probationem pro secunda parte dicendum est, quòd ille motus magis procedit ab intrinseco ex parte voluntatis, qui procedit ex maiori inclinatione illius, orta ex plenissima cognitione: & hoc modo se habet amor beatificus ductus ex visione beata. Pro quo recolatur dicta loco nuper relato.

28 Arguitur quartò contra secundam conclusionem: Nam voluntarium necessarium, & liberum inquantum voluntaria habent diversa principia intrinseca voluntarij ex parte cognitionis: ergo distinguuntur in ratione voluntarij. Consequentia est legitima: quia si voluntarium dependet essentialiter à cognitione, nequeunt non cogniciones essentialiter diversæ diversæ essentialiter causate. Antecedens est omnino certum: nam amor Dei liber, & in via regulatur per cognitionem fidei; & amor necessarius in patria regulatur per visionem; & constat has cogniciones distinguere essentialiter.

Hoc argumentum claudicat imprimis ex parte antecedentis: quia actus liber, & necessarius possunt regulari per eandem indivisibilem cognitionem, ut contingit in amore, quo Deus diligit necessarium seipsum; & quo libere diligit creaturas; & in amore, quo beatus diligit Deum necessarium; & amore, quo diligit libere creaturas, qui regulantur eadem visione beata. Et forte idem iudicium potest nunc proponere idem obiectum sub ratione boni, & postea sub ratio-

ne mali; & sic potest esse causa in eodem actu bonitatis, & malitæ, ut tract. sequenti dicemus. Claudicat etiam in consequentia. Primò: quia cognitio tantum se habet ut conditio indispensable ad voluntarium, & actus non variantur essentialiter, est essentialiter variantur conditiones, ut num. 23. probatum est. Secundò: quia licet cogniciones essent causæ activæ voluntarij, non propterea voluntaria debent essentialiter distinguere, si cogniciones hoc modo distinguuntur: quia effectus eiusdem rationis possunt provenire à causis specie diversis, ut calor productus ab igne, & à sole. Et hoc maxime urget in actibus voluntatis, qui præcise specificantur ab obiecto, & ab ipsa voluntate; & cogniciones adsumptum sunt causæ activæ ut applicantes, & causæ activæ per modum applicationis non sunt sufficientes ad diversificandos actus, si applicant eundem obiectum. Unde propositiones diversæ per fidem, & visionem sunt accidentariæ ac rationem voluntarij, sicut sunt ad entitatem actus.

Mittimus alia argumenta, quibus Scotistæ conantur probare, quòd actus charitatis in patria est essentialiter distinctus ab actu charitatis in via: vel quia sunt parvi momenti: vel quia ex dictis §. 2. possunt facile dilui.

DUBIUM IV.

Utrum possit dari ommissio voluntaria absque omni actu voluntatis, qui sit causa illius?

Hoc dubium, quòd continet celebriorem huius quæst. 6. difficultatem, maxime conducit ad explanandam quartam illam divisionem voluntarij in directum, & indirectum tractatam num. 4. Et procedit attenda qualiter potentia. De eo agit D. Thomas in præf. art. 3. sub his disertis terminis: *Utrum voluntarium esse possit absque omni actu?* Ad quem titulum communiter reducitur id, quòd infra quæst. 71. art. 5. inquitur sub hac formula: *Utrum in quolibet peccato sit aliquis actus?* Uterque (inquam) titulus continet eandem numero difficultatem: nam resolutio quoad posteriorem titulum nullam addit difficultatem supra resolutionem quoad priorem, ut omnes fatentur. Et propterea alij tantum excitant illam in presentia: alij ad præcitatam quæstionem 71. & alij, utrobique, ut N. Salmant. occasione cuiusdam replicæ contra doctrinam ab eis datam, in presentia disputant. Sed ante nostram resolutionem optate pretium duximus aliqua prenotare, & supponere, quæ non parum ad explicandum sensum genuinum, in quo procedit hoc dubium, conducunt.

§. 1.

Prænotabilia, & suppositiones.

29 **N**ota primò, regulariter loquendo duplicem actum ad omne voluntarium sive directum, sive indirectum, sive confensum in positivo, sive consistens in omissione concurrere; alium ex parte intellectus, & alium ex parte voluntatis. Et quia hoc dubium intelligi poterat adhuc de actu intellectus, ne intelligeretur in his, quæ fortè omni difficultate carerent, & vt certa haberentur apud omnes, propterea in titulo questionis ponitur illa particula *absque omni actu voluntatis* determinans eam vnicè ad actum voluntatis, de quo præcipue est dubium apud Auctores.

30 Vide supponendum est primò, non posse adhuc per potentiam Dei absolutam dari omissionem voluntariam absque aliquo actu positivo intellectus. Et probatur breviter simul, & efficaciter: Nam non stat voluntarium actuale, & exercitum in actu secundo, prout distinctum à voluntario in actu primo, nisi voluntas sit adequatè constituta in actu primo ad actum, vel ad omissionem actus; sed absque omni actu intellectus nequit voluntas constitui in actu primo adequato ad actum, vel ad omissionem actus; cum apprehensio, seu propositio compleat voluntatem in actu primo, saltem per modum conditionis essentialis, vt tradunt N. Complut. abrev. in Physica disp. 15. num. 10. cum communi plausu Philosophorum, & Theologorum: ergo implicat omisio voluntaria absque aliquo actu positivo intellectus. *Maxime*: Quia quod nullo modo est cognitum, est ignoratum ignorantia omnino invincibili; & antecedenti, cum nulla cognitio remaneat; sed ignorantia invincibilis, & antecedens tollit veram rationem voluntarij, vt infra videbimus, alias falsificarentur illa verba posita in definitione voluntarij, nempe, *cum cognitione*: ergo sine aliquo actu intellectus non stat omisio voluntaria.

31 Nec contra hoc obest, si opponas cum D. Thoma in præf. art. 3. ad 3. vbi ait: *Et modo requiritur ad voluntarium actus cognitio, sicut & actus voluntatis, vt scilicet sit in potestate alicuius, considerare, & velle, & non agere, & tunc sicut non velle, & non agere, cum tempus fuerit, est voluntarium, ita etiam non considerare.*

Non (inquam) obest: Nam estò verum sit, quòd ad voluntarium non requiritur consideratio formalis, cum tempus fuerit, requiritur tamen consideratio interpretativa; sed hæc chimerica est, nisi præcedat consideratio formalis illius, quod actu non consideratur, cum intar tempus: ergo necessario debet præcedere ali-

quis actus intellectus formalis, vt omisio sit voluntaria. *Adde*: Nam omnino chimerica videtur, quòd non consideratio sit voluntaria, nisi voluntariè se diverat à consideratione: & non minus chimericum videtur, quòd voluntariè se diverat à consideratione huius obiecti, nisi præcedat cognitio illius, vel quia cognoscatur aliud obiectum, & cognoscatur simul huius considerationem esse incompossibilem cum consideratione illius; sed chimerica est omisio voluntaria, quin non consideratio illius sit voluntaria, vel sine consideratione formali alterius obiecti: & propterea inconsideratio prima Angelij, ex qua processit eius primum peccatum, fuit voluntaria, quia supponebat considerationem aliquam vltimi finis, & considerationem propriè excellentiè sistendo ibi: ergo. Vnde D. Thomas non potest intelligi de non consideratione excludente omnem considerationem formalem præcedentem, ad quam illa proxima non consideratio reducatur velut in causam.

32 Nota secundò, actum concurrentem regulariter ad omissionem voluntariam tripliciter posse comparari ad illam: vel persè, vel directe, vel tandem indirectè, seu per accidens. Tunc diceretur actum comparari persè ad omissionem voluntariam, si prædictus actus requiratur ad omissionem vt voluntariam, vel vt ratio constituens, vel vt completus, vel vt forma eam denominans: ad eum modum quo in sententia communi Thomistarum actus requiritur persè ad omissionem moraliter bonam, in qua nulla bonitas datur præter eam, quam tribuit ei actus, qui est causa illius. Tunc verò dicitur actum comparari ad omissionem directe, quando quis directe, & expresse vult omittere actum, quem exercebat. Et tandem tunc dicitur actum comparari indirectè, seu per accidens ad omissionem, quando quis exerceat actum incompossibilem cum actu, ad quem tenetur, vt si horra, qua tenetur audire sacrum, traderet se ludis, vel fomo. Igitur vt intelligatur titulus questionis.

33 Supponendum est secundò, ad omissionem voluntariam non requiri actum, qui persè ad ipsam pertineat, vel directe ad eam tendat. Ita D. Thomas quest. 2. de Malo art. 1. vbi ait: *Potesse esse aliquod peccatum, ad quòd non requiritur aliquis actus de essentia peccati.* Idem tradit infra quest. 1. art. 5. supra citatis, his verbis: *Si enim intelligatur in peccato omisionis illud solum, quòd per se pertinet ad rationem peccati, sic quandoque est absque omni actu: si ergo ad omissionem vt peccaminosam non requiritur persè actus, à fortiori nec ad omissionem vt voluntariam.* Tum, quia ratio peccati fundatur supra rationem voluntarij. Tum, & quia omnis omisio peccaminosa debet esse voluntaria, vel in se, vel in causa.

Et

Et probatur ratione quoad utranque partem: nam ad omissionem in se voluntariam sufficit, quòd quis voluntariè ponat actum, in incompossibilem cum actu, ad quem tenetur: est enim ipso est voluntaria omisio in se, sed prædictus actus nec tendit directe ad ipsam omissionem, vt ex se liquet, nec denominatur voluntaria præcisè ab actu: ergo, vt omisio sit voluntaria, non requiritur actus, qui persè ad eam pertineat, nec directe ad eam tendat. *Explicatur hæc*: Nam actus requisitus ad omissionem voluntariam nunquam pertinet ad eam, vt eam intrinsecè constituens: quia nihil positivum potest intrinsecè consistere privationem. Neque vt subiectum illius: quia omisio, cum sit carentia actus debiti, & hic recipitur immediate in voluntate, est à omisio debet recipi immediate in ea. Neque vt complementum illius: quia de ratione complementi est supponere id, cuius est complementum; & actus non supponit omissionem, sed e converso. Neque vt forma denominans extrinsecè voluntariam; sed cum modum quo actus exterior dominatur extrinsecè voluntarij ab actu interiori, & omisio mali denominatur extrinsecè bona ab actu bono: quia omisio est exercitium immediatum voluntatis; sicut actus, cuius est omisio, licet dependat ab aliquo actu, quòd sit occasio, vt egrediat à voluntate; sed nequit excogitari alius modus persè, quò actus se habeat ad hoc, vt omisio sit voluntaria: ergo non requiritur aliquis actus, qui se habeat persè ad omissionem.

34 Sed obijcies primò: *Omne peccatum debet esse dictum, factum, vel concupitum contra legem, vt tradit definitio Augusti.* Sed verba hæc expriment actum positivum: ergo requiritur actus persè ad omissionem peccaminosam, ac proinde voluntariam. *¶ Secundò*: Nam quando actus voluntatis directe tendit in omissionem, pertinet persè ad illam, vt tradit D. Thomas infra quest. 71. artic. 51. *¶ Tertio*: Omisio non potest egredi à voluntate per seipsam, nisi præcedat aliquis actus voluntatis: ergo requiritur persè, ad hoc vt sit voluntaria. *¶ Quarto*: Peccata omisionis sæpius repetita generant habitum, qui inclinatur ad ipsa peccata; sed per solam carentiam nequit produci: ergo requiritur actus persè ad omissionem vt peccaminosam. *¶ Quintò, & vltimò*: Quia peccato omisionis debetur poena sensus; sed hæc nequit deberi propter omissionem: ergo omisio

Ad primam obiectionem respondetur cum D. Thoma loco proximo relato art. 6. ad 1. vbi ait: *Dicendum, quòd affirmatio, & negatio reducuntur ad idem genus. Et ideo pro eodem accipiendum est dicere, & non dicere, & factum, & non factum.* *¶ Ad secundam* respondetur, permitiendo, quòd tunc casus causa concurreat persè ad omissionem, sed hoc non est quid per-

Paul. Tivol. Salm. Tom. II.

se exactum ab ipsa omissione voluntaria. *¶ Ad tertiam* respondetur, quòd sicut electio immediate proficit à voluntate, quamvis debeat præsupponi actus intentionis influens in eam; ita omisio voluntaria proficit immediate, quamvis requiratur aliquis actus, qui tantum per accidens influat in eam.

35 Quarta obiectio maiorem vim habet contra eos, qui defendunt omissionem puram peccaminosam, nisi denegent productionem habitus per prædictas omissiones, vt denegat Godoy in præf. num. 90. Sed contra eum viget tam, quòd prædicta peccata reddunt hominem promptum ad omitendum, cuius promptitudo nequit non nasci ex habitu. Tum etiam, quòd per prædicta peccata destruitur opposita virtus vt, g. per plures omissiones non restituendi corrumpitur virtus iustitiæ; & ex genere virtus acquisita non destruitur, nisi per oppositum vitium.

Apud nos verò, qui non concedimus omissionem puram peccaminosam, facile respondetur, concedendo, quòd producat habitus, qui persè inclinatur in actum, præcedentem ab eo, quòd sit causa persè directe tendens ad omissionem; & ab eo, quòd sit causa per accidens. Et propterea, per quoscunque actus generetur, semper est eiusdem rationis. Et licet actus laudandi (vt g.) secundum se per accidens iungatur cum omissione, at tamen vt hic & nunc concurrat ad omitendum, estque volitio virtualis omitendi, non iam per accidens, sed persè convenit ei prædictus influxus. Neque ex hoc inferas, quòd iam actus requiritur persè ad omissionem: Nam aliud est esse causam persè effectivam absolutè, vel facta aliqua suppositione; & aliud est esse persè tanquam quid constituens ipsam omissionem; vel tanquam quid persè exactum ab ea. Primum est verum; secundum autem falsum, vt constat in qualibet causa per accidens.

36 Quinta obiectio etiam habet maiorem vim contra defensores omissionis puræ peccaminosæ: Quia perpetuus est D. Thomas in asserendo, quòd poena damni debetur præcisè propter inordinatam deletionem, & conversionem ad bonum commutabile, iuxta illud Apoc. 18. *Quantum glorificavit se, & in altitèr fuit, tantam date illi tormentum, & luctum.* Videatur omnino D. Thomas infra quest. 87. art. 4. 2. 2. quest. 79. art. 4. ad 4. Et quest. 5. de Malo art. 4. ad 4. & art. 2. in corpore ait: *Quod peccato originali solum debetur poena damni, non præcisè quia non fuit voluntate propria, sed etiam, & præcipue, quia in illo non est prædicta conversio.*

Nos verò, qui non concedimus omissionem puram peccaminosam, facile solvimus obiectionem dicentes, quòd poena sensus debetur omissioni, non verò ratione sui, sed ratione actus;

Ecce

actus, sicut peccator puniatur pena sensus propter actum internum, & externum, quamvis actui externo non debeat, nisi ratione actus interni. Quae solutio clare deducitur ex D. Thomae loco citato ex 2.2. ubi postquam asseruit, quod omisionis debetur pena sensus, addit: *Et hoc propter radicem, ex qua procedit, hoc est, propter conversionem actus, qui fuit causa, & radix omisionis.* Nec refert, quod concludens praedictam solutionem sic ait: *Licet non habeat ex necessitate actualem conversionem ad aliquod bonum commutabile.* Non (inquam) refert: Nam, ne sibi videatur contrarius, interpretari debet de conversione pertinente persae & directae ad omisionem, ut est volitio expressa omittendi. ¶ Alia obiectio potest hic proponi ex paritate omisionis bonae, circa quam suspensum relinquimus lectorem vique ad tract. de Merito Iusti. Interim videatur Div. Thomas infra quaest. 71. artic. 5. ad 1. Praeterquamquod in ratione voluntariae idem potest dici de vna, ac de alia. Ex his ita praenotatis, & praesuppositis clare constat sensus quaestio: Qui consistit in eo, an possit dari omisionis voluntaria, absque eo quod praecedat aliquis actus voluntatis, qui saltem per accidens, vere tamen influat in eam?

Circa quam difficultatem duplex versatur ex diametro opposita sententia. Prima affirmativa, quam tenent ex Thomistis N. Cornejo, Medina, Curiel, Araya, Ferre, Godoy, Palanco, Rios, & alij. Ex familia Societatis Arrigae, Suarez, Valentia, & alij, quos refert, & sequitur Meratius. Ex familia Seraphica Scotus, Maltrius, Herrera, & alij. ¶ Secunda est negativa, quam defendunt graviores Thomistae Capreolus, Hispanensis, Caietano, Bañez, Victoria, Conradus, Zumel, Alvarez, Martinez, Ioannes à S. Thoma, Gonet, & alij. Ex Societate Vazquez, Lorca, & alij. Ex familia Seraphica D. Bonav. Alensis, & alij.

§. II.

Sententia negativa, & mens D. Thomae illustrata.

37 **D**icendum est, implicare in terminis, quod detur omisionis pura voluntaria. Ita expressè (nostro iudicio) D. Thomas infra quaest. 75. supra citata art. 5. ubi felata sententia de vtraque opinione supra relata sic ait: *Vtraque autem opinio secundum aliquod veritatem habet: si enim intelligatur in peccato omisionis illud solum, quod persae pertinet ad rationem peccati, sic quandoque omisionis peccatum est cum actu interiori: Si vero in peccato omisionis intelligatur causa, vel occasio, non omittendi, sic necesse est in peccato omisionis aliquem actum esse.* Vbi D. Thomas expressè

se tenet nostram sententiam, & confirmat doctrinam datam num. 33. Quae authoritas ceteris praeponenda est, & ex eamens D. Thomae venanda: quia ibi positissimum continetur legitima mens alicuius Doctoris, ubi rem expressè agitur, ut est in praesentibus. Et propterea hanc auctoritatem magnam difficultatem habere contra sententiam contrariam adhuc ipsi Adversarij non cupiunt affirmare. Videatur Ferre tract. de Voluntario, num. 504.

Et confirmatur quaest. 2. de Malo artic. 1. ubi etiam distinguens inter praedictas opiniones inquit: *Sic ergo, per se loquendo, potest esse aliquod peccatum, ad quod non requiritur aliquis actus de essentia peccati; & in hoc veritatem habet secunda opinio. Si autem consideretur id, quod requiritur ad peccatum, ut causa peccati, sic oportet, quod ad quodlibet peccatum etiam omisionis aliquis actus requiritur.* Et paulo inferius: *Ad hoc ergo, quod omisionis peccatum, requiritur, quod casetur ab aliquo actu voluntario.* Et tandem concludit: *Sic ergo quantum ad hoc prima opinio vera est, quod ad omisionem requiritur actus voluntarius, ut causa.*

38 Nec subterfugiant difficultatem Adversarij, si dicant, D. Thomam loqui de omisionem secundum regularem cursum, iuxta quem moraliter loquendo non datur inquam omisionis voluntaria, & peccaminosa sine aliquo actu, qui sit causa illius. Non (inquam) effugiant eam: Nam praedicta verba, si attente legantur, continent rationes valde metaphysicas, quas proxime ponderabimus, desumptas ex natura voluntarij, & omisionis, ut contabit cuilibet iterum recolenti verba praefata, necnon totam litteram contentam in corpore articuli, & in solutione argumentorum: ergo intelligendus est in toto rigore metaphysico, & attenda quacunque potentia. Maxime: Quia alicubi debebat D. Thomas rem hanc pertractare modo metaphysico, & per ordinem ad quancumque potentiam; sed absque vilo prorsus fundamento diceretur illam hoc modo pertractare, ubi rem expressè non agit, & non ubi rem expressè agitur: ergo. Adde: quod, si iuxta communem, & regularem cursum, seu iuxta providentiam ordinariam non potest dari omisionis voluntaria sine aliquo actu, bene verò iuxta potentiam absolutam, sequeretur inde, quod requiratur miraculum ad hoc, ut detur omisionis pura voluntaria; & peccaminosa, ac proinde ad hoc ut detur peccatum. Quod caute admittendum est in sententia Thomistarum, qui ex eo probant, gratiam, & peccatum non posse simul coexistere, adhuc attenda potentia Dei absoluta, quia iuxta providentiam ordinariam nequeunt coexistere propter naturalem eius contrarietatem; & quia Deus nequit miraculum facere, ne mutua se expellant contra naturalem eorum oppositionem.

Dein-

39 Deinde suadet ratione: Nam implicat, omisionem aliquam esse voluntariam, nisi egredietur à voluntate; sed implicat egredi à voluntate, nisi mediante aliquo actu positivo ipsius voluntatis: ergo implicat omisionis voluntaria absque omni actu positivo voluntatis. Maior videtur certa, & deducta ex definitione voluntarij; quod ita diffinitur, nempe, quod sit à principio intrinseco cum cognitione: quibus verbis denotatur, ad rationem voluntarij non sufficere, quod sit in voluntate, sed quod oriatur ab ipsa voluntate. Praeterquamquod conceditur absoluitur ab Adversarijs, ut videri potest Godoy disp. 2.1. per totam, maxime num. 58. Minor verò probatur: nam repugnat omisionem egredi à voluntate, seu voluntatem in eam influere, (quod idem est) nisi ex motione sui obiecti specificativi, quod est bonum coincidens cum fine; sed voluntas nequit moveri à bono, seu fine sine aliquo sui actu positivo: ergo implicat, omisionem egredi à voluntate sine aliquo actu ipsius positivo. Minor supponitur, & conceditur ab Adversarijs. Et maior probatur: nam repugnat voluntatem, sicut & quamlibet aliam potentiam, habere aliquod sui exercitium extra suum obiectum specificativum: ergo repugnat, omisionem egredi à voluntate, nisi ex motione sui obiecti specificativi.

40 Huic rationi respondet Godoy num. 85. quod voluntas dupliciter potest se exercere circa suum obiectum, vel agendo, vel non agendo. Licet ergo, quando se exercet agendo circa suum obiectum, qui est finis, debeat habere exercitium aliquod positivum; non tamen requiritur aliquod exercitium positivum, dum se exercet omittendo, seu non agendo. Et si alia potentia nequeunt se exercere circa suum obiectum specificativum nisi per aliquod exercitium positivum; hoc ideo est: quia ex se non sunt formaliter liberae; contra rationem erga suum obiectum specificativum, potest erga illud se exercere per puram omisionem.

Sed ut hac evasio refellatur: Nota, quod finis non specificat voluntatem, ut est terminus voluntatis omittentis, sed prout est terminus, illius ut se moventis positivo erga illum: finis enim vnicè specificat voluntatem, prout gratia sui quaeritur, & cetera propter ipsum. Ex quo inferitur, quod primarium, & specificativum exercitium illius nequit esse exercitium omisionis erga ipsum finem, sed necessarium debet esse exercitium positivum. Hinc ergo refellitur primo: Nam si omisionis egredietur à voluntate, non potest egredi ab illa, ut exercitium primarium & directum, sed praecise ut exercitium secundarium, & indirectum, alias voluntas aequè specificaretur ab eo ac ab exercitio positivo, ut ex se liquet, prout deinde finis aequè specificaret voluntatem, ut est

Paul. Tveol. Salm. Tom. II.

terminus omisionis, ac ut est terminus prosecutionis; sed nequit egredi à voluntate, prout est exercitium indirectum & secundarium, nisi precedente exercitio primario, & directo, quod positivum est: exercitium enim indirectum necessarium debet reduci ad exercitium directum, sicut exercitium per accidens ad exercitium persae, ut expressè tradit D. Thomas infra quaest. 75. art. 1. & exercitium secundarium necessarium debet supponere exercitium primarium: ergo voluntas non potest se exercere circa finem pure omittendo, sed permiscere debet exercitium aliquod positivum.

Vergetur hoc: Nam quia obiectum adaequatum voluntatis est bonum, omnes actus fiti-gae, qui versantur circa malum, necessarium supponunt affectum positivum circa bonum: quia appetitus nunquam refugit aliquid ut malum, nisi inquantum amicitiam oppositum bonum, ut tradit D. Thomas supra q. 1. art. 2. ubi ait: *Quia bonum quaeritur, ideo refutatur oppositum malum.* Et hac eadem ratione ductus quaest. 29. art. 2. docet, quod omne odium causatur ex amore. Ex quibus duo colliguntur tanquam omnino certa in via D. Thomae, nempe, quod amor est vnicè exercitium primarium, & specificativum voluntatis; & quod exercitium secundarium, veluti actus fugae, supponit primarium, scilicet, amorem; sed exercitium omisionis nequit esse directum, & primarium, alias aliquid positivum specificaretur à privativo, & voluntas aequè primò tenderet in illud, ac in exercitium amoris: ergo.

41 Refellitur secundò: Nam nequit finis terminare omisionem nisi apprehendatur in se, vel in sui exercitio profectivo sub aliqua ratione mali, & consequenter nisi ipsa omisionis apprehendatur sub aliqua ratione boni, ut fatetur Godoy in hac 1. 2. disp. 6. num. 7. & omnes Thomistae; sed exercitium profectivum erga finem nequit terminare omisionem sub ratione mali, nisi hac supponat aliquod exercitium positivum, nec omisionis potest egredi à voluntate sub ratione boni, nisi item supponat aliquod exercitium positivum: ergo repugnat, quod omisionis egredietur à voluntate sine aliquo exercitio positivo. Minor quoad primam partem probatur: nam malum sub ratione mali potest terminare determinatè exercitium fugae; sed exercitium fugae nequit non supponere exercitium aliquod profectivum & positivum, ut docet D. Thomas, & concedit Godoy: ergo exercitium profectivum erga finem nequit omitti, nisi in vi alicuius exercitij positivi. Quoad secundam partem etiam suadet: nam de ratione boni ut boni est attrahere voluntatem, illamque movere; hoc significat aliquid positivum: ergo si omisionis egredietur à voluntate sub ratione boni, debet supponere exercitium aliquod positivum.

Ecc 2

Re 3